


## I S L A N D I A.



Norvegiæ littore in occasum versus ad CL mill. Germ. navigantibus occurrit in Oceano Hyperboreo Insula magna, *Islandia* vulgo dicta, ab immensis frigoribus & perpetua glacie, quibus damnata est. Adjacet illi ab Occasu æstivo *Groenlandia*, immenso

terrarum spatio, incertum insula an continens terra sit cum Americæ terris. Patet *Islandia* in longitudine centum mill. Germ. magnamque ejus partem interfecat Circulus Arcticus inter gradum altitudinis 66 & 67. Ita ut maxima sui parte ad zonam temperatam pertineat, minima ad frigidam, quæ Circulum Arcticum & Polum interjacet. In historia Ecclesiastica, quæ M. Adami nomen præ se fert, legere est, hujus Insulæ incolas ad Adelbertum Episcopum Bremensem profectos petiisse ab eo, qui Christianam doctrinam ibidem docerent, populumque salutaribus Evangelii præceptis imbuerent. Obiit autem hic Adelbertus circiter annum Domini MLXX. Episcopos habere cœperunt inde ab anno 1398, quorum catalogum recenset *Jonas*. Quæri solet, utrum *Islandia* sit illa veterum scriptis decantata *Thule*. Aliqua enim harum trium esse creditur, aut *Schetlandia*, quæ *Hitlant* vocant, aut *Islandia*, aut *Groenlandia*. Ponitur ejus medium apud *Ptolemæum* gr. lat. 30, 20, longitud. 63, & de ea canit *Virgil.* lib. 1 *Georg.* *Tibi serviat ultima Thule*, & *Claudianus*, *Thulen procul axe remotam*. *Ortelius* suspicatur *Tilemarchiam* Norvegiæ regni tractum esse antiquorum *Thulen*. Atqui ex *Isidoro* *Thule* inter Septentrionem & Occidentem sita quum sit, alibi quærenda est. Plerique *Islandiam* volunt esse ipsissimam *Thulen*, à quibus tamen abeunt *Saxo Grammaticus*, *Crantzius*, *Milius*, *Jovius*. *Caspar Peucerus* libro de terræ dimensione autor est, *Schetlandiam*, sive *Hitlandiam* vocari à nautis *Thilensell*. quod si ita est, merito mihi cum eruditissimo *Cambdeno* dicere liceat, inventam *Thulen*. *Schetlandia* enim Insula est inter *Scotiam* & *Norvegiam* frigoribus horrida, & procellis undique exposita. *Solinus* eam juxta *Britanniam* ponit. *Multa, alia circum Britanniam insula, è quibus Thule ultima, in qua æstivo solstitio Sole de Cancris fidere faciente transitum, nox pene nulla. Brumali solstitio dies adeo contractus, ut ortus juncti sint & occasus. Ultra Thulen pigrum est & concretum mare. Inde à Caledonia promontorio Thulen petentibus bidui navigatio est. Quæ rota descriptio Schetlandiæ competit, non Islandiæ. Quid, quod & poli elevatio cum Ptolemaica exacte consentiat, sitque*

*Europa.*

inter Septentrionalem & Occidentalem plagam interjecta, ut notavit *Isidorus*, hoc est, inter *Norvegiam* & *Scotiam*, quo loco eam quoque *Saxo Grammaticus* constituit. Postremo quod *Bergorum* littori sit opposita, ut voluit *Mela*. Verba *Melæ* hæc sunt: *Thule Bergorum* (male apud *Melam* est *Belgarum*) littori opposita est, *Grajis* & nostris celebrata carminibus. In ea, quod Sol longe occasurus exsurgit, breves utique noctes sunt, sed per hiemem, ut alibi, obscuræ, æstate lucidæ: quod per id tempus jam altius se evehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per Solstitium vero nullæ, quod tum manifestior non fulgorem modo, sed sui quoque partem maximam ostentat. Sed plura de *Thule* vide apud *Fr. Petrarcham* lib. 3, *Epist.* 1.

*Islandia* maximam partem inculta est, tota montosa, ut ex montium valliumque alterna ferie universa constare videatur. Quæ Septentrioni viciniora, sunt ejus loca, infrugifera magis sunt, ob austeram spiracula venti Circii, qui nec frutices excrecere permittit. Quare lignorum maxima per universam Insulam inopia est, nisi forte, quod aliquando accidit, ex Septentrionali plaga arbores grandiores ventorum turbine funtibus extirpatæ naufragii instar ad hæc littora deferantur: quibus incolæ ad usum focorum, ædificiorum, naviumque utuntur.

Dividitur universa in totidem partes, quot sunt mundi cardines. Orientalem vocant *Austlendingafiordung*, Occidentalem *Westfiordung*, Septentrionalem *Nortlendingafiordung*, Meridionalem *Suydlendingafiordung*. Duos habet Episcopatus cathedrales gymnasiis publicis ornatos, & typographiis, omniq; apparatu litterario, nempe *HOLAM*, sub quo sunt monasteria *Pingora*, *Remsted*, *Modur*, *Munkeniere*, & *SCALHOLT*, cui monasteria subsunt, *Videy*, *Pyrnebar*, *Kirkebar*, & *Skorda*. Paret regno *Norvegiæ*, quam ob causam Rex *Daniæ*, qui idem *Norvegiæ*, eo quotannis præfectum mittit, cui obediunt, uti quondam suis Episcopis, quem primum nominat *Islephum*.

Piscium in *Islandicis* aquis infinita est multitudo. Capiuntur hic aselli, rhombi, vituli marini, merlusia, Gothice *Torsck* appellata; inter quos balenæ, priestes, atque alia monstra marina apparent; quorum indomabili immanitate miræ aquarum turbationes excitantur. Pisces vero electiores ibi capti, ab *Italis* & *Hispanis* *Marlucæ* appellantur, & *Romam* usque per *Hispanos* aut *Lusitanos* deferuntur. Tempus capturæ eorum est mensibus *Februario*, *Martio* & *Aprili*: piscesque capti frigidis ventis exsiccantur, ac demum in apertis campis, quasi lignorum combustibilium strues compositi, per mensuras longorum

F

gorum

Quæstio an  
Islandia sit  
veterum  
Thule.

Partes.

Pisces.